

PIUS PAPA IX



BULLA CONVOCATIONIS
AETERNI PATRIS

(29 VI 1868)

**LITTERAE APOSTOLICAE QUIBUS INDICITUR
OECUMENICUM CONCILIUM ROMAE HABENDUM
ET DIE IMMACULATAE CONCEPTIONI DEIPARAE
VIRGINIS SACRO AN. 1869 INCIPIENDUM**



CRACOVIAE 2018

www.ultramontes.pl



Bulla convocationis

Aeterni Patris

(29 VI 1868)

PIUS PAPA IX

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS INDICITUR OECUMENICUM CONCILIUM

ROMAE HABENDUM

ET DIE IMMACULATAE CONCEPTIONI DEIPARAE VIRGINIS SACRO
AN. MDCCCLXIX INCIPIENDUM.

(Emissae die 29. Junii a. 1868.)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Aeterni Patris Unigenitus Filius propter nimiam, qua nos dilexit, caritatem, ut universum humanum genus a peccati jugo, ac daemonis captivitate et errorum tenebris, quibus primi parentis culpa jamdiu misere premebatur, in plenitudine temporum vindicaret, de caelesti sede descendens et a paterna gloria non recedens, mortalibus ex Immaculata Sanctissimaque Virgine Maria indutus exuviis, doctrinam ac vivendi disciplinam e caelo delatam manifestavit eandemque tot admirandis operibus testatam fecit, ac semetipsum tradidit pro nobis, oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Antequam vero, devicta morte, triumphans in caelum consessurus ad dexteram Patris conscenderet, misit Apostolos in mundum universum, ut praedicarent evangelium omni creaturae, eisque potestatem dedit regendi Ecclesiam suo sanguine acquisitam et constitutam, quae est *columna et firmamentum veritatis*, ac caelestibus ditata thesauris tutum salutis iter, ac verae doctrinae lucem omnibus populis ostendit, et instar *navis in altum saeculi hujus ita natat, ut, pereunte mundo, omnes, quos suscipit, servet illaesos* (1). Ut autem ejusdem Ecclesiae regimen recte semper, atque ex ordine procederet, et omnis christianus populus in una semper fide, doctrina, caritate et communione persisteret, tum semetipsum perpetuo affuturum usque ad consummationem saeculi promisit, tum etiam ex omnibus unum selegit Petrum, quem Apostolorum Principem, suumque hic in terris Vicarium, Ecclesiaeque caput, fundamentum ac centrum constituit, ut cum ordinis et honoris gradu, tum praecipuae plenissimaeque auctoritatis, potestatis, ac jurisdictionis amplitudine pasceret agnos et oves, confirmaret fratres, universamque regeret Ecclesiam, et esset *caeli janitor, ac ligandorum solvendorumque arbiter, mansura etiam in caelis judiciorum suorum definitione* (2). Et quoniam Ecclesiae unitas et integritas, ejusque regimen ab eodem Christo institutum perpetuo stabile permanere debet, iccirco in Romanis Pontificibus Petri successoribus, qui in hac eadem Romana Petri Cathedra sunt collocati, ipsissima suprema Petri in omnem Ecclesiam potestas, jurisdictio, Primatus plenissime perseverat ac viget.

Itaque Romani Pontifices omnem Dominicum gregem pascendi potestate et cura ab ipso Christo Domino in persona Beati Petri divinitus sibi commissa utentes, numquam intermiserunt omnes perferre labores, omnia suscipere

consilia, ut a solis ortu usque ad occasum omnes populi, gentes, nationes evangelicam doctrinam agnoscerent, et in veritatis ac justitiae viis ambulantes vitam assequerentur aeternam. Omnes autem norunt quibus indefessis curis iidem Romani Pontifices fidei depositum, Cleri disciplinam, ejusque sanctam doctamque institutionem, ac matrimonii sanctitatem dignitatemque tutari, et christianam utriusque sexus juventutis educationem quotidie magis promovere, et populorum religionem, pietatem, morumque honestatem fovere, ac justitiam defendere, et ipsius civilis societatis tranquillitati, ordini, prosperitati, rationibus consulere studuerint.

Neque omiserunt ipsi Pontifices, ubi opportunum existimarunt, in gravissimis praesertim temporum perturbationibus, ac sanctissimae nostrae religionis civilisque societatis calamitatibus generalia convocare Concilia, ut cum totius catholici orbis Episcopis, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, collatis consiliis, conjunctisque viribus ea omnia provide sapienterque constituerent, quae ad fidei potissimum dogmata definienda, ad grassantes errores profligandos, ad catholicam propugnandam, illustrandam et evolvendam doctrinam, ad ecclesiasticam tuendam ac reparandam disciplinam, ad corruptos populorum mores corrigendos possent conducere.

Jam vero omnibus compertum exploratumque est, qua horribili tempestate nunc jactetur Ecclesia, et quibus quantisque malis civilis ipsa affligatur societas. Etenim ab acerrimis Dei hominumque hostibus catholica Ecclesia ejusque salutaris doctrina et veneranda potestas, ac suprema hujus Apostolicae Sedis auctoritas oppugnata, proculcata, et sacra omnia despecta, et ecclesiastica bona direpta, ac Sacrorum Antistites et spectatissimi viri divino ministerio addicti, hominesque catholicis sensibus praestantes modis omnibus divexati, et Religiosae Familiae extinctae, et impii omnis generis libri, ac pestiferae ephemerides, et multiformes perniciosissimae sectae undique diffusae, et miserae juventutis institutio ubique fere a Clero amota, et quod pejus est, non paucis in locis iniquitatis et erroris magistris commissa. Hinc cum summo Nostro et bonorum omnium moerore, et nunquam satis deplorando animarum damno ubique adeo propagata est impietas, morumque corruptio et effrenata licentia, ac pravaram cujusque generis opinionum omniumque vitiorum et scelerum contagio, divinarum humanarumque legum violatio, ut non solum sanctissima nostra religio, verum etiam humana societas miserandum in modum perturbetur ac divexetur.

In tanta igitur calamitatum, quibus cor Nostrum obruitur, mole supremum Pastorale ministerium Nobis divinitus commissum exigit, ut omnes Nostras magis magisque exseramus vires ad Ecclesiae reparandas ruinas, ad universi Dominici gregis salutem curandam, ad exitiales eorum impetus conatusque reprimendos, qui ipsam Ecclesiam, si fieri unquam posset, et civilem societatem funditus evertere connituntur. Nos quidem, Deo auxiliante, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio nunquam pro gravissimi Nostri officii debito destitimus pluribus Nostris Consistorialibus, Allocutionibus, et Apostolicis Litteris Nostram attollere vocem, ac Dei ejusque sanctae Ecclesiae causam Nobis a Christo Domino concreditam omni studio constanter defendere, atque hujus Apostolicae Sedis, et justitiae veritatisque jura propugnare, et inimicorum hominum insidias detegere, errores falsasque doctrinas damnare, et impietatis sectas proscribere, ac universi Dominici gregis saluti advigilare et consulere.

Verum illustribus praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, opportunum propterea esse existimavimus, in generale Concilium, quod jamdiu Nostris erat in votis, cogere omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis sacrorum antistites, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati sunt. Qui quidem Venerabiles Fratres singulari in catholicam Ecclesiam amore incensi, eximiaque erga Nos et apostolicam hanc Sedem pietate et observantia spectati, ac de animarum salute anxii, et sapientia, doctrina, eruditione praestantes, et una Nobiscum tristissimam rei cum sacrae tum publicae conditionem maxime dolentes, nihil antiquius habent, quam sua Nobiscum communicare et conferre consilia, ac salutaria tot calamitatibus adhibere remedia. In oecumenico enim hoc Concilio ea omnia accuratissime examine sunt perpendenda ac statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus majorem Dei gloriam, et fidei integritatem, divinique cultus decorem, sempiternamque hominum salutem, et utriusque Cleri disciplinam, ejusque salutarem solidamque culturam, atque ecclesiasticarum legum observantiam morumque emendationem, et christianam juventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt. Atque etiam intentissimo studio curandum est, ut, Deo bene juvante, omnia ab Ecclesia et civili societate amoveantur mala, ut miseri errantes ad rectum veritatis, justitiae, salutisque tramitem reducantur, ut vitiis erroribusque eliminatis, augusta nostra religio ejusque salutifera doctrina ubique terrarum reviviscat et quotidie magis propagetur et dominetur, atque ita pietas, honestas, probitas, justitia, caritas omnesque christianae virtutes cum maxima humanae societatis utilitate vigeant et efflorescant. Nemo enim inficiari unquam poterit, catholicae Ecclesiae ejusque doctrinae vim non solum aeternam hominum

salutem spectare, verum etiam prodesse temporali populorum bono, eorumque verae prosperitati, ordini ac tranquillitati, et humanarum quoque scientiarum progressui, ac soliditati, veluti sacrae ac profanae historiae annales splendidissimis factis clare aperteque ostendunt, et constanter evidententerque demonstrant. Et quoniam Christus Dominus illis verbis Nos mirifice recreat, reficit et consolatur: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (3); iccirco dubitare non possumus, quin ipse in hoc Concilio Nobis in abundantia divinae suae gratiae praesto esse velit, quo ea omnia statuere possimus, quae ad majorem Ecclesiae suae sanctae utilitatem quovis modo pertinent. Ferventissimis igitur ad Deum luminum Patrem in humilitate cordis Nostri dies noctesque fuis precibus hoc Concilium omnino cogendum esse censuimus.

Quamobrem Dei ipsius omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac beatorum ejus Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua Nos quoque in terris fungimur, freti et innixi, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu, sacrum oecumenicum et generale Concilium in hac alma Urbe Nostra Roma futuro anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono, in Basilica Vaticana habendum, ac die octava mensis decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacra incipiendum, proseguendum, ac Domino adjuvante, ad ipsius gloriam, ad universi christiani populi salutem absolvendum et perficiendum, hisce Litteris indicimus, annuntiamus, convocamus et statuimus. Ac proinde volumus, jubemus, omnes ex omnibus locis tam Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, quam Dilectos Filios Abbates, omnesque alios, quibus jure aut privilegio in Conciliis generalibus residendi et sententias in eis dicendi facta est potestas, ad hoc oecumenicum Concilium a Nobis indictum venire debere, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis vi jurisjurandi, quod Nobis et huic Sanctae Sedi praestiterunt, ac sanctae obedientiae virtute, et sub poenis jure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri et proponi solitis, mandantes arctaque praecipientes, ut ipsimet, nisi forte justo detineantur impedimento, quod tamen per legitimos procuratores Synodo probare debebunt, sacro huic Concilio omnino adesse et interesse teneantur.

In eam autem spem erigimur fore, ut Deus, in cujus manu sunt hominum corda, Nostris votis propitius annuens ineffabili sua misericordia et gratia efficiat, ut omnes supremi omnium populorum Principes, et Moderatores praesertim catholici quotidie magis noscentes maxima bona in humanam

societatem ex catholica Ecclesia redundare, ipsamque firmissimum esse Imperiorum Regnorumque fundamentum, non solum minime impediunt, quominus Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites aliique omnes supra commemorati ad hoc concilium veniant, verum etiam ipsis libenter faveant, opemque ferant, et studiosissime, uti decet catholicos Principes, iis cooperentur, quae in majorem Dei gloriam ejusdemque Concilii bonum cedere queant.

Ut vero Nostrae hae Litterae, et quae in eis continentur, ad notitiam omnium, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiae excusationem praetendat, cum praesertim etiam non ad omnes eos, quibus nominatim illae essent intimandae, tutus forsitan pateat accessus, volumus et mandamus, ut in Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana, et Liberiana, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem divinam congregari solita est, palam clara voce per Curiae Nostrae cursores aut aliquos publicos notarios legantur, lectaeque in valvis dictarum Ecclesiarum itemque Cancellariae apostolicae portis, et Campi Florae solito loco, et in aliis consuetis locis affigantur, ubi ad lectionem et notitiam cunctorum aliquandiu expositae pendeant, cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per hujusmodi lectionem, publicationem affixionemque, omnes et quoscumque, quos praedictae Nostrae Litterae comprehendunt, post spatium duorum mensium a die Litterarum publicationis et affixionis ita volumus obligatos esse et adstrictos, ac si ipsismet illae coram lectae et intimatae essent, transsumptis quidem earum, quae manu publici notarii scripta aut subscripta, et sigillo personae alicujus Ecclesiasticae in dignitate constitutae munita fuerint, ut fides certa et indubitata habeatur, mandamus ac decernimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae indictionis, annunciationis, convocationis, statuti, decreti, mandati, praecepti, et obsecrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo octavo, tertio kalendas julias.

Pontificatus Nostri anno vigesimotertio.

† EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Loco † Signi.

† Ego Marius Episc. Ostiensis et Veliternus Card. Decanus Mattei Pro-Datarius.

† Ego Constantinus Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi.

† Ego Aloysius Episc. Praenestinus Card. Amat S. R. E. Vice-Cancellarius.

† Ego Nicolaus Episc. Tusculanus Card. Paracciani Clarelli a Secretis Brevium.

† Ego Camillus Episc. Albanus Card. Di Pietro.

† Ego Carolus Augustus Episc. Sabinensis Card. de Reisach.

† Ego Philippus Tit. S. Laurentii in Lucina Proto-Presb. Card. de Angelis Archiep. Firmanus, et S. R. E. Camerarius.

† Ego Fabius Maria Tit. S. Stephani in Monte Coelio Presb. Card. Asquini.

† Ego Alexander Tit. S. Susannae Presb. Card. Barnabo.

† Ego Joseph Tit. S. Mariae in Ara Coeli Presb. Card. Milesi.

† Ego Petrus Tit. S. Marci Presb. Card. de Silvestri.

† Ego Carolus Tit. S. Mariae de Populo Presb. Card. Sacconi.

† Ego Angelus Tit. SS. Andreae et Gregorii in Monte Coelio Presb. Card. Quaglia.

† Ego Fr. Antonius Maria Tit. SS. XII Apost. Presb. Card. Panebianco Poenitentiarius Major.

† Ego Antoninus Tit. SS. Quatuor Coronator. Presb. Card. de Luca.

† Ego Joseph Andreas Tit. S. Hieronymi Illyricorum Presb. Card. Bizzarri.

† Ego Joannes Bapt. Tit. S. Callixti Presb. Card. Pitra.

† Ego Fr. Philippus Maria Tit. S. Xysti Presb. Card. Guidi Archiep. Bononiensis.

† Ego Gustavus Tit. S. Mariae in Transpontina Presb. Card. de Hohenlohe.

† Ego Aloysius Tit. S. Laurentii in Pane Perna Presb. Card. Bilio.

† Ego Lucianus Tit. S. Pudentianae Presb. Card. Bonaparte.

† Ego Joseph Tit. SS. Marcellini et Petri Presb. Card. Berardi.

† Ego Raphael Tit. SS. Crucis in Hierusalem Presb. Card. Monaco.

† Ego Jacobus S. Mariae in Via Lata Proto-Diac. Card. Antonelli.

† Ego Prosper S. Mariae Scalaris Diac. Card. Caterini.

† Ego Theodulphus S. Eustachii Diac. Card. Mertel.

† Ego Dominicus S. Mariae in Domnica Diac. Card. Consolini.

† Ego Eduardus SS. Viti et Modesti Diac. Card. Borromeo.

† Ego Hannibal S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Capalti.

M. Card. Mattei, Pro-Datarius. – N. Card. Paracciani Clarelli.

Loco + Plumbi

Reg. in Secretaria Brevium.

Visa de Curia: *D. Bruti.*

J. Cugnionius.



Acta et Decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani die 8. Decembris 1896 a SS. D. N. Pio P. IX. inchoati. Cum permissione superiorum. Friburgi Brisgoviae. SUMTIBUS HERDER. MDCCCLXXI (1871), pp. 48-53. (a)

Notae:

- (1) S. Max., Serm. 89.
- (2) S. Leo, Serm. II.
- (3) Matth. c. XVIII, v. 20.
- (a) Cf. 1) Papież Pius IX, [*Bulla konwokacyjna "Aeterni Patris" \(29 VI 1868\). Encyklika zwołująca sobór powszechny do Rzymu na dzień 8 grudnia 1869 roku.*](#)
- 2) Dr. Franciscus Egger, Episcopus Brixinensis et Princeps, a) [*De proprietatibus religionis.*](#) b) [*De indefectibilitate Ecclesiae.*](#) c) [*De necessitate Ecclesiae.*](#) d) [*De opere Christi. Indoles religionis christianae.*](#) e) [*Infideles et haeretici publici certe non sunt membra Ecclesiae.*](#)
- 3) Codex Juris Canonici, Pius Papa IV, [*Professio Catholicae Fidei \(Wyznanie Wiary katolickiej\).*](#)
- 4) S. Pius Papa X, [*Jusjurandum contra errores modernismi \(Przysięga antymodernistyczna\).*](#)
- 5) S. Pius Papa V, [*Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini \(Katechizm rzymski według uchwały świętego Soboru Trydenckiego\).*](#)
- 6) Urbanus Papa VIII, Benedictus Papa XIV, [*Professio Fidei Orientalibus praescripta \(Wyznanie Wiary dla chrześcijan wschodnich\).*](#)
- 7) Sac. Josephus Papp-Szilágyi de Illyésfalva, [*De electione Romani Pontificis.*](#)
- 8) D. Henricus Maria Pezzani, [*Codex Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae. Can. 26. Devius a fide catholica, haeticus, vel schismaticus eligi prohibetur in Romanum Pontificem; si eligatur nulla est electio \(Kodeks Świętego Katolickiego Kościoła Rzymskiego. Kanon 26. Zakazany jest wybór na Papieża tego, kto odstąpił od wiary katolickiej, heretyka lub schizmatyka; jeśli ktoś taki zostanie wybrany, wybór jest nieważny\).*](#)
- 9) P. Ferdinandus Cavallera SI, [*Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici.*](#)
- 10) P. Dominicus M. Prümmer OP, [*Manuale iuris canonici in usum scholarum.*](#)
- 11) P. Christianus Pesch SI, a) [*Compendium Theologiae dogmaticae.*](#) b) [*De membris Ecclesiae.*](#)
- 12) S. Alphonsus Maria de Liguorio, Ecclesiae Doctor, a) [*Opera dogmatica. \(Ex italico sermone in latinum transtulit, ad antiquas editiones castigavit notisque auxit Aloysius Walter CSsR\).*](#) b) [*De Mariae gloriis.*](#)
- 13) Pius Papa XII, a) [*Litterae encyclicae "Mystici Corporis Christi" \(Encyklika "Mystici Corporis Christi", O Mistycznym Ciele Chrystusa\).*](#) b) [*Enchiridion indulgentiarum.*](#)


14) S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Ordinis Praedicatorum, [Summa Theologica. Num Papa mortuo remaneat ejus potestas. – Ad quos electio Summi Pontificis pertinet.](#)

15) Albertus Nègre, Archiepiscopus Turonensis, Sacrae Theologiae Doctor, [Cursus Theologiae Dogmaticae. De Romani Pontificis infallibili magisterio.](#)

16) Sac. Petrus Semenenko CR, [Papa semper idem sit formaliter qui et materialiter \(Papież zawsze ten sam jest formalnie, co i materialnie\).](#)

17) P. Timotheus Zapelena SI, [De Ecclesia Christi. Pars apologetica. Thesis IX. E Christi ipsius institutione Petrus habebit successores in primatu ad finem usque saeculorum.](#)

(Nota ab ed. *Ultra montes*).



([HTM](#))

© *Ultra montes* (www.ultramontes.pl)

Cracovia MMXVIII, Kraków 2018